


**Dissertationem Philologicam, De Coecis Et Claudis Jebusæorum : Ad Normam 2.  
Sam. V. c. c. 6. 7. 8.**

Wittebergæ: Literis Christiani Schroedteri, [1721?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn874323096>

Druck Freier  Zugang






OK  
43


49. el. 4.

Fa-1092 (43.)


- Deam
1. Henr. Grichti Theologia exegetica methode analytica proposita et tota, bulis fucinato comprehensa. Lips. 1723.
  2. a. Jor. Cos. Schramm de dictis vel. Test. in veteri Testamento repetitis Helmsf. 1729.
  2. b. Christ. Ben. Michaelis de studiis partium a sacrorum literarum inter. pretatione renovanda. Hal. 1729.
  2. c. Franc. Wakenius de pietate critica Wittel. 1731.
  3. Jo. Reich. Rufius de variis Aegyp. montem Sinaï aspectu Jen. 1716. rec. 1733.
  4. Jor. de serpente Ductore non naturali sed solo diabolo. ad Gen. III. 1-15. ibid. 1712.
  4. b. Jo. Trichmannus de ligatione Japheti ad Gen. XXXII. vers. 5. Jen. 1662.
  9. a. Jo. Andr. Schmedius de oraculo a Rebeca confecto. Ad Gen. XXXVI. 21 sq. Helmsf. 1712.
  9. b. Mich. Behestaer de Rachelis deliciis Judaicum ad Gen. XXX. 14. Wittel. 1660. rec. 1710.
  10. a. Christ. Bened. Michaelis antiquissimam Idumaeorum historiam ad Gen. XXXVI. 30-39. Hal. 1734.
  10. b. Gott. Fried. Gudius de Hebraica obeliscum origine ad Exod. I. 15. Lips. 1724.
  11. Christ. Weisius de duplici petra in deserto percurta ad Exod. XVIII. 1-7. vet. Num. XX. 1-13. Lips. 1727.
  12. a. Jo. Andr. Schmedius de Jethrone ad Exod. II. et XVIII. Helmsf. 1715.
  12. b. Jo. Christ. Orlenius de fonte Jethronis principum baculis fons et comite ad Num. XXI. 16. 17. 18. Lips. 1718.
  13. Jo. Gott. Carpponius de annis jubileas secundum disciplinam Hebraeorum. Lips. 1730. (ad Levit. XXV.)
  14. Jo. Carol. Beheim de divorzio Jucis a DEO nunquam praecipito, neque etiam legaliter permissa. ad Deuter. XXIV. 1-4. et Malachi. II. v. 15. 16. et Kap. 1729.
  15. 16. Jo. Fedalthe de Jucis a DEO nunquam praecipito, neque etiam legaliter permissa. ad Deuter. XXIV. 1-4. et Malachi. II. v. 15. 16. et Kap. 1727.

17. Lud. Friedr. Weisius de coelis et clausis Jobusacorum ad 2 Sam V,  
v. 6, 7. O. Witteb 1721.
18. Jo. Andr. Sargius de Davidis in Ammonitas devictos mitigata  
crudelitate ad 2 Sam XII, 31. Jen 1710.
19. Jo. Friedr. Hageni <sup>opus</sup> ~~opus~~ <sup>opus</sup> Moses Aegyptum jure interfe-  
cerit ad Exod II, 11. 12. 1685 rec Witteb 1720.
20. Eundem Elias corcorus convictor ad 1 Reg XVII, 1-6. Witteb 1685.
21. Jo. Christ. Heberstein de Maacha a regia renata ad 1 Reg  
XV, 13. Lips 1734.
22. Jo. Friedr. Majerus de Achabo appetente et Nabatho vitam  
vineae postponente ad 1. Reg. XXI. 1685. rec. 1701.
23. Eundem de reformatione Josiad regis ab idolo  $\text{TTT} \text{O} \text{X}$  in templo  
facto ad 2 Reg. XXII, 6. 7. 1685. recus Witteb 1701.
24. Jo. Schmidii <sup>in</sup> ~~in~~ <sup>in</sup> Antivedio festentiam de mystico  
eo historiae Jobeae sensu. Lips 1703.
25. J. Faustii Exercitationis in Malum XXXIV. Argentor. 1701
26. 27. Jo. Godefr. Pfeifferi commentationes in J. LXXVIII. Lips.
28. Jo. Henr. Michaelis <sup>1724</sup> de libro Coheleth. Hal 1716 rec 1725
29. Christi. Bened. Michaelis de Salomonis ad Lactitiam ep.  
hortationibus ad Cohel. II, 2. 24. 26. III, 4. 12. 13. 22. V, 7. 10. 19.  
VIII, 14. VIII, 15. IX, 7. 8. XI, 9. 10. Hal. 1729.
30. Jo. Schmidius de salutifera perruptoris resurrectione. ep Mich.  
II, 13. Lips 1705.
31. Jo. Gerh. Meier de succello et basi idolorum. ad Anos. VI 26.  
coll. Actos. VIII, 43. Helmsl. 1726
32. Jo. Reinh. Rufius de xxx hebdomadibus Danielis ad Dan. II, 24.  
25. 26. 27. Jen 1720 rec. 1733.
33. Jo. Adam Quasius de vera significatione vocis  $\text{N}^{\circ} \text{TJ}$  ad Abd. I. I.  
Lips. 1729.









Q. D. B. V.

DISSERTATIONEM PHILOLOGICAM,  
DE

COECIS

ET

CLAUDIS

JEBUSÆORUM,

AD NORMAM

2. Sam. V. c. c. 6. 7. 8.

EX PERMISSIONE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS;

Die I. NOV. A. O. R. MDCCXXI.

HORIS ANTE MERIDIEM STATIS,

PLACIDO DISSENTIENTIUM JUDICIO

SUBMITTUNT,

PRÆSES

M. LUDOLPHUS FRIDERICUS

WESSE /

LUNEBURGENSIS,

ET

RESPONDENS

JOH. GOTTLOB REICHELIIUS,

TZSCHOP. MISN. S. S. THEOL. CULTOR.

WITTEBERGÆ,

LITERIS CHRISTIANI SCHROEDTERI, ACAD. TYPOGR.

V I R O  
PLURIMUM REVERENDO, AMPLISSIMO,  
CLARISSIMO  
DN. JOHANNI DAVID  
THOENNIKERO  
ECCLESIAE BELGRANAE  
PASTORI VIGILANTISSIMO  
MERITISSIMOQVE

DOMINO, PATRONO, AC CONSAN-  
GVINEO SUO, OMNI DEVENERATIONIS  
AC PIETATIS CULTU PERPETUO  
PROSEQVENDO

H O C  
QVALECUNQVE ACADEMICAЕ  
DILIGENTIAE SPECIMEN

SUB  
OMNIGENAE FELICITATIS  
APPRECIATIONE

D. D. D.

JOHANNES GOTTLOB REICHELIIUS.



Vot & quanta, divinus ille Heros DAVID, cum privatam adhuc vitam degeret, *prudencie, virtutis*, atque, *invicti*, plane *animi* argumenta dederit, s. Codex, speciatim autem Liber I. Samuelis cap. XVII, & sequentibus, cum insigni illius laude, abunde satis commemorat. Virtutibus enim suis, vere regis, & illustri belli gloria, regnum, quod ex promissione divina, quæ per unctionem ipsius, a SAMUELE propheta peractam, & declarata, & corroborata erat (1. Sam. XVI. II. sqq.) post infelicem Saulis exitum, demum, & ex parte tantum aliqua, occupare debebat, dudum ante, & præclare meruisse, videbatur. Ex his etiam evidentibus indiciis, ipse Israelis Rex SAUL, non vane quidem, augurabatur, non alium sibi, quam DAVIDEM, in imperio esse successurum. (1. Sam. cap. XIX. 8. & cap. XXIV. 20.) Tantum autem abest, ut magnus, ille belli Dux DAVID, posteaquam dignitate regia auctus esset, fortitudinis gloria Ducibus suis cederet; ut augustam potius Ducis famam, regis subinde facinoribus ipse illustraret, proprium Regis esse, ratus, non imperio magis, ac majestate, quam virtutum exemplo, reliquis omnibus, longo intervallo, antecire. Argumento hic inprimis esse potest, memorabilis illa urbis *Hierosolyma* occupatio, potissimum autem arcis *Zionis*, quæ, utut non semel forsitan obsidione tentata esset (Jof. XV. 63. Jud. I. 8. 21. cap. XIX. II.) attamen in *Jebusitarum* potestate adhuc permanerat, gloriosa expugnatio. Et hanc quidem eandem, divinum oraculum, quod 2. Sam. cap. V. v. 6. 7. & 8. nobis exhibetur, ceu primum Regiæ virtutis in gentes exteris specimen, DAVIDI præcipue adscribit. Quamvis enim ille, non multo post infaustum Israelitarum cum Philistæis prælium, in quo & SAUL Rex, & JONATHAN filius illius occubuerant, a tribulibus suis, scilicet יהושי יהודה in Regem על בית יהודה super tribum Judæ, Hebrone ungeretur (2. Sam. cap. II. v. 1--5.) superstitetamen ISBOETHO, altero SAULLIS filio, cum bello interno, satis longo, iste implicitus esset, cujus eventum insuper militaris, ABNERIS virtus atque prudentia ancipitem reddebat, (2. Sam. cap. II. 8. 9. & cap. III. 1. & 6.) alios, & peregrinos populos, ut insimul

bello DAVID aggredetur, ob distractas copiarum vires, maxime periculosum videbatur. Quare sapiens ille tribus Judæ Rex, illud, quod jam tunc fortean moliebatur, prudenti consilio eo usque dissimulabat, donec, interjecto septem annorum spatio, posteaquam ISBOSETHUS interemptus esset, unanimi populi consensu, totius Israelis Rex constitueretur, & fœdere cum populo inito, in imperio ipse confirmaretur. (conf. 2. Sam. cap. IV. v. 5 & sqq. & cap. V, v. 1. & sqq.) Tum vero non diu cunctandum, ratus, ipse urbem *Jebus*, quam, vel *situs* opportunitate, *spatii* amplitudine, *naturali* insuper loci *robore* ductus, vel *divinitus* etiam commonefactus, in sedem sibi elegerat, *magno animo*, *patri prudentia*, nec minori *copiarum vi*, aggrediebatur. JEBUSITÆ autem, antiqui urbis habitatores, utut regio conatus, alto supercilio despicerent, imo superba proflus voce DAVIDEM ita alloquerentur **לֹא תָבוֹא הַנָּה כִּי אֵם הַסִּירָר** **וְהַפְסִיחִי** **וְהַעֲוִירִי** *non venies huc, sed removebunt te ceci & claudi*; magnus tamen Rex ille, insuper habitis verborum, quæ JEBUSITÆ effutiebant, cothurnis, atque audacia, quod semel sibi proposuerat, alacri atque intrepido animo feliciter exequabatur. Exigit autem instituti nostri ratio, ut curatius paulo in ea, quæ hoc in negotio gesta sunt, inquiramus. Quare, ut feliciter & distinctius procedamus, ita præsentem operam informabimus, ut primum præcipuas *diversorum Auctorum* super hocce oraculo, proxime excitato, sententias succincte perlustremus, deinde *nostram* quoque, qualem, qualem, modeste subjungamus.

§. II. Quantum quidem ad *opinionum diversitatem* attinet, generatim illa, ex *duplici* vocum **וְהַפְסִיחִי** **וְהַעֲוִירִי**, in textu occurrentium, *consideratione* procedere videtur. Alii enim voces istas, in significato *negativo*, de inanimatis etiam, commode usurpari posse, autumant, alii autem contra notionem vocum, quando *privative* illæ sumuntur, (qua ratione de *animatis*, sensibusque præditis, ut illæ adhibeantur, necessum est,) hic locorum alteri præferendam esse, censent. Atque hinc est, quod res ipsa, ut *gemina* quasi hypothesium *classis* constituatur, exigat. *Prima* opinioes illorum, qui per cæcos istos & claudos, *imagines, statuas, & simulachra* intelligunt; altera vero sententias eorum, qui per eadem ista

ista verba, *homines cæcos & claudos*, vel *vere*, vel *ironice* tantum tales, indigitari statuunt, ambitu suo complectetur. Ad primam itaque classem referendæ erunt opiniones.

(1) JUDÆORUM, illorum, quorum hypotheses in *Talmude* comparent, quibus alii etiam *Apellæ* applaudunt. (confer. R. ELIEZER. cap. 36. ABRABBANEL. in comm. in hunc locum & R. ABEND. in not. ad R. *Selomonis B. Melech* comm.) Existimant namque isti, cæcos & claudos nominari, *duas imagines*, quibus verba juramenti, quod *Abraham & Isaac Abimelech* præstitere (conf. Gen. cap. XXI. 23. & cap. XXVI. 31.) inscripta erant. Eisdem autem vocari cæcos, quod, oculos habentes, non viderint, claudos, quod pedibus instructi, non ambulaverint. Unam præterea, cæcam factam esse, ut exprimeret Isaacum, de quo scriptum sit: *Et caligarunt oculi ejus*: alteram vero tanquam claudicantem esse exhibitam, ut Jacobum depingeret, siquidem de eo legatur (Gen. XXXII. 31.) & *claudicabat Jacob super femur suum*. Has ipsas autem imagines, DAVIDI, una cum exercitu suo adventanti, a JEBUSITIS e muris, prolatis verbis sequentibus, ostensas fuisse: **לאתכנן הנה כי אנן** **הסיר העורים והפסחים**, itidem isti arbitrantur. Hæc autem Rabinorum quorundam hypothesi, cum *nullo probabili fundamento* nitatur, & præterea oracula divina, ab istis excitata, fœdus hocce minimum ex *Abrahami & Isaaci* parte, tantum, ut *personale* describant, insuper quoque, *Abraham & Isaac*, istiusmodi pacis fœdus, cum incolis terræ Canaam, inclusa posteritate sua, quam, eandem hanc terram, antiquis habitatoribus expulsis, aliquando esse occupaturam, ex promissione Dei isti certissime persuasi erant, pangere neque poterant, neque etiam debebant. (conf. Gen. XVII. v. 8. cap. XV. v. 20.)

(2) R. ABEN EZRÆ, quippe qui mentem suam ita declarat: *Civitas Hierosolymitana tua eris, o DAVID! si poteris per arma tua, cæcos & claudos devincere*, h. e. *turrim seu fortalitium illud, in quo sunt imagines cæca & clauda, sed nos scimus, propugnaculum istud robustius esse, quam ut a te superari possit*. Tunc vero dixit DAVID: *Quicumque percusserit Jebuseum, & pervenerit ad canales, & ad cæcos & claudos*, h. e. *obtinuerit fortalitium illud, con-*

fituam illum Duce[m]. Eandem hanc opinionem suffragio suo comprobare videtur CASTALIO, quando: *Ego puto (scil. per cecos & claudos) significari, inquit, eos, quos Atlantae GRÆCI, Telamones LATINI appellant, quæ signa sunt virili figura, mutulos aut Coronas in edificiis sustentia, atque hanc esse hujus loci sententiam, arbitror; tanta erat arcis altitudo, ut eam superari posse, JEBUSÆI negarent; itaque DAVIDI, oppugnanti, dicerent, tum demum eundem irrupturum esse in arcem, cum telamones illos, qui, cecorum & claudorum figuram referentes, in summa arce erant, abstulisset, quod perinde erat, ac si dicerent, fieri non posse, ut eo irrumperet.* Citantur hæc in *Bibl. Crit. T. II. super h. l.*

(3) R. LEVIBEN GERSONIS, quam etiam R. ABRABBANEL in comment. suo, in *Prophet. prior.* ad præsens, quod declarare suscepimus oraculum, ita quoad sensum refert: voces cecorum & claudorum *לרכב* interpretatur de statuis, quæ insigni artificio ita fabricatæ erant, ut, posteaquam, illæ aqua, ope *צינור* canalis, continuo per istas transeunte, & identidem eas replente, ad motum concitatæ essent, baculos ferreos ingentes, valide agitarint. Atque, hinc factum fuisse, ut loca illa, in quibus istæ statuæ collocatæ erant, nemo præsentissimo sine vitæ discrimine adire, & occupare potuerit, idem ille Rabbi existimat. At enim vero, ut ut opinionis hujus, & illarum etiam, quæ, numero proxime præcedente, recensitæ sunt, Auctores, asserti sui fundamentum aliquod in verbis DAVIDIS: *וְאֵת הַפְּסוּזִים וְאֵת הַעֲוִרִים וְאֵת הַצִּינּוֹר*, quæ ipse textus allegat, sollicite quaerere, sibi vero jam invenisse videntur: quilibet tamen oraculum istud, curatius expendens, sponte sua haud gravatim perspiciet, quam multa omnino, de quibus nec vola, nec vestigium ibidem comparet, ut hanc ipsam roboraret hypothesin, textui addita, atque afficta esse, ita, ut prolixius eadem enarrate, supervacaneum esse censeamus.

Magis autem Textui præsentî convenire, adeoque majori insuper probabilitate niti videtur (4) Sententia illorum, qui per cecos & claudos, *Idola JEBUSITARUM* indigitari, arbitrantur, atque hinc illorum verba ita elucidanda esse, censent: *Tu quidem, DAVID, & vos, ISRAELITÆ, in ea estis opinione, quasi Dii nostri caci sint,*  
atque

atque claudi, ita, ut nullum nobis omnino auxilium, adversus vos prestare possint: attamen jam nunc, illos tales, quales vos reputatis, minime esse, damno vestro experiemini. Non enim arcem nostram ante occupabitis vos, quam cecos illos & claudos, uti a vobis nuncupantur, removeritis. Comprobant hanc hypothesein suffragio suo, ipse B. LUTHERUS, OSIANDER, VINARIENSES, GALOVIUS, SEBAST. SCHMIDIUS & alii, in annotationibus & commentariis suis super præfenti, quod examinamus, oraculo. Quantum autem ad fundamenta opinionis hujus attinet, commodior forsitan inferius sese nobis locus objiciet, ut uberius & distinctius ea investigare queamus.

§. III. Ad alteram itaque hypothesein classem, quæ nobis diversas illorum Auctorum opiniones suppeditabit, qui omnes quidem, notiones cæcorum & claudorum ad homines respicere, censent: de eo tamen, utrum istæ ad JEBUSITAS, an vero ad DAVIDIS copias sint referendæ, præterea quoque, anne sensu *proprio*, vel *figurato* potius accipi debeant, minus conveniunt, mora haud interposita, progredimur. Atque hinc in medium jam nunc proponimus sententiam.

1. Illorum, qui voces, in quibus enodandis, nunc versamur, ipsis JEBUSÆIS ita applicant, ut, istos quidem, vel ex *sententia propria*, vel minimum ex *mente DAVIDIS* atque ISRAELITARUM, se ipsos cecos & claudos, seu inermes atque imbecilles, vocasse: insuper tamen DAVIDI, quod nihilominus ipsi arcem suam contra illius copias satis tueri possent, significare voluisse, existiment. Amplectitur quodammodo hanc ipsam hypothesein SANCTIUS in commentario suo, & alios quoque Auctores, scilicet ANGELOMUM, HIERONYMUM, ABULENSEM, & HUGONEM, idem secum sentientes, excitat.

2. CHALDÆI PARAPHRASIS, qui voces העורים והפסחים in sensu *metaphorico* sumens, ita textum authenticum verit: ואמרו (יבוסארה) לדוד למימר ליה תעול הלכה אלהו: כעדיותך חטאיה וחיביתך דאמרין ליה יעול דוד הלכה: Et dixerunt (JEBUSITÆ) DAVIDI, dicendo: non intrabit hic, nisi absolute peccatores & culpatores, qui dicunt: non intrabit David hic.

3. R. ABRABBANELIS, quam in *comment. suo in proph. prior.* super hoc præcise loco, sequentibus, quæ, quia prolixiora sunt, latino idiomate recensere licebit, exhibet. *Volebant dicere JEBUSITÆ: DAVID! ne tibi persuadeas, quod ob robur, virtutemque tuam, & numerosum populum, qui latus tuum constipat, nos tecum pacem simul inituri, hoc sane minime fiet. Quoniam tu revera non venies huc, donec hinc homines etiam cecos & claudos removeris. Et hoc quidem dictum est, per dilatationem, & circumscriptionem aliquam sermonis, quasi dicerent, DAVIDEM non ante capturum esse urbem, quam nullus amplius in ea erit superstes, quandoquidem etiam puer unus, vel cecus, vel claudus, prohibebit eum, ne urbem ingrediatur. Quoniam autem verba hæc non simpliciter & præcise, sed cum extensione quadam, & in significatu proverbiali sunt prolata, ideo etiam addit deinceps JEBUSÆUS, non veniet DAVID huc. Ac si diceret: Ecce omnium omnino est hæc sententia & vox, quod DAVID urbem non sit ingressurus. Atque hæc vera videtur proverbii, a cecis & claudis desumpti, intentio & sensus. Et ecce dicunt illi hoc, eo, quod urbs hæc munita & domus sanctuarii Regis erat. Et duo viri illi, qui in ea residui fuerunt, omnes rege terra prohibuerant, ne urbem hanc vi expugnarent. Hactenus ABRABBANEL.*

4. Istorum, qui putant, JEBUSITAS per contemptum copias DAVIDIS cecos & claudos nuncupasse, atque hinc illos, ei verbis istis *לֹא תִבֶּן הַנֶּכֶךְ* &c. indicare voluisse, quod, nisi cæcos istos & claudos dimitteret, inanis ejus de occupanda urbe spes, atque irriti omnes illius conatus essent futuri. Quam sententiam prolixius persequitur SERARIUS.

5. Denique nec earum prætermittenda erit hypothesis, qui statuunt, quod JEBUSÆI, tantam fiduciam in arcis suæ munitione posuerint, ut illam a cecis etiam & claudis defendi posse, arbitrarentur, ideoque DAVIDI, vel collocatis etiam in mœnibus urbis cecis, & claudis, atque aliis miseris hominibus, dixerint: *non venies huc, quia hi ipsi te removebunt, ceci & claudi.* Huic vero sententiae præter JOSEPHUM in *Antiqv. Lib. VII. cap. 2.* alii etiam, graves Auctores, scilicet VATABLUS, MUNSTERUS, &c. subseribunt.

§. IV. Ceterum cum, limitum, nobis in presenti præfixo-  
rum, angustia, ut longius, vel in diversarum sententiarum recen-  
sione, vel in uberiori recensitarum hypothesum, declaratione, &  
in rationum, quibus eadem illæ nituntur, accuratiori consideratione  
expatiemur, non permittat, unicam tantum, & quidem illam,  
quæ per cæcos & claudos *Idola* JEBUSÆORUM intelligit, opi-  
nionem, ne nostram, quam approbaturi sumus sententiam, au-  
cto:ritatis præjudicio oneret, sub examen aliquale revocabimus. Ut-  
ut autem illam, jam tum in prima hypothesum classe, sub num.  
4. recensuerimus, eandem tamen, hic locorum propriis AUCTO-  
RUM *præcipuorum*, qui istam amplectuntur, verbis, ut majori  
cum certitudine de mente istorum constet, repetere, non omni-  
no abs re erit. Ante omnia itaque hic ipsum B. LUTHERUM  
excitamus, qui in Glassa marginali h. l. in *Bibl. German.* ita men-  
tem suam declarat: Diese Blinde und Lame sind ihre Götzen  
gewesen/ welche sie zu trotz wider David auff ihre Mauren se-  
tzen/ als ihre Patronen/ die sie schützen solten q. d. Du kries-  
gest mit uns nicht/ sondern mit unsern Göttern/ heiß dich mit  
ihnen, sie werden dir woll wehren. Nicht/ daß sie die Blin-  
de oder Lame geheissen haben/ sondern der Geist Gottes in  
denen, so hernach die Historien beschrieben haben, heisset sie  
also.

Huic autem merito suo associamus B. SEBAST, SCHMIDIUM,  
quippe qui hanc ipsam hypothesin in comment. suo ad lib. 2.  
Sam. cap. V. Quæst. IIX. argumentis quibusdam corroborare, sa-  
tagit. Proponit autem eandem, verbis sequentibus: *Manet nobis,*  
inquit, *expositio de IDOLIS JEBUSÆORUM, sive idola Deorum*  
*tutelarium, sive patriorum intelligas. Forte fuerunt Dii bellici &*  
*armati, quos, propterea, JEBUSÆI, armatos, in murorum loco ali-*  
*quo, ut a DAVIDE videri possent, collocarunt, ut ostenderent, qui-*  
*bis armis, maxime nimirum Deorum suorum magis, quam suis con-*  
*siderent, & nunquam futurum sit, ut DAVID in arcem perveniat.*  
Quantum vero ad fundamenta hujus sententiæ attinet, Auctores  
alios præcipue urgent.

I. Quod JEBUSITÆ, qui jam per aliquot secula inter ISRAE-  
LITAS

LITAS habitaverant, Deos gentiles ab ISRAELITIS habitos esse pro iis, qui *neque videre neque ambulare* possent, non ignoraverint. Vocasse itaque JEBUSITAS Deos suos cæcos & claudos ex *doctrina & fide ISRAELITARUM, non ex mente sua*, sed per *antiphrasin & ironiam*, atque ita facto ipso, quod ISRAELITAS & horum de Diis suis hypothesein, flocci prorsus faciant, commonstrasse, existimant.

2. Quod in textu expresse addatur, cæcos istos & claudos *animæ DAVIDIS fuisse exosos*, atque hinc natum esse proverbium: *cæcus & claudus non veniet in domum*. Ex his enim pronum esse, ut notiones istæ de *Idolis*, JEBUSÆORUM potius, quam de *perfonis*, istiusmodi corporis vitiis Laborantibus, intelligantur, existimant. DAVIDEM itaque, tanto Istos odio, ut par erat, persecutum fuisse, autumant, ut nec in *domo sua & subditorum suorum*, multo minus in *domo DEI*, locum istis ullum concedendum esse, publice professus fuerit.

3. Quod JEBUSÆI, magna fiducia suffulti, dixerint DAVIDI; *non venies hic, sed removebunt te cæci & claudi*, eam fiduciam illos non in hominibus, ad defensionem plane ineptis, sed in *Diis suis tutelariis*, pro more aliarum etiam gentium, collocasse, arbitrantur.

Denique (4) etiam hoc, & inprimis, sententiæ hujus *Affertores*, urgent, quod nulla omnino hypothesis, tam apte, & exacte *omnibus textus circumstantiis* respondeat, atque satis faciat, quam quidem hæc præsens de *idolis* opinio.

§. V. Ut autem, qua hæc, modo allegata, rationes nitantur basi, & utrum insuper istæ ita comparatae sint, ut sententiam, in cuius confirmationem sunt allatae, præ aliis omnibus commendent, nec ne? dilucide magis patefcat, singulae istæ, ut separatim expendantur, necessum est. Quod ad *primam* itaque spectat rationem, concedimus quidem, quod ISRAELITÆ, *gentilium Deos* pro nudis tantummodo *sculptilibus*, sive pro ligno, auro, argento & lapidibus, manu artificis in speciem quandam, vel humanam, vel aliam effictis, adeoque pro talibus omnino, qui neque videre, neque ambulare, possent, reputaverint: attamen, cum 7<sup>o</sup> non-

non - videre & non - ambulare, atque 70 cæcum & claudum esse, ut *negativum* & *privativum* inter se differant, quorum hoc de *sub-jecto capaci* solummodo, si accurate loqui velimus, adhiberi potest: quod autem ISRAELITÆ etiam simulachra gentilium cæcos & claudos *absolute* vocaverint, illud *non minima* hucdum probatione indiget. In S. literis enim, utut vox  $\text{רָעָה}$  vel vicies,  $\text{מָוֶה}$  autem, minimum duodecies ibidem legatur, insuper etiam utriusque vocis radix aliquoties in iis occurrat; nullibi tamen *hæ notiones*, vel *Idolis* tribuuntur, vel saltem in sensu *negativo* adhibentur. Accedit, quod sententiæ hujus de Idolis Patroni, nullo evidenti indicio & argumento, vel ex *textu ipso*, vel *aliunde* deprompto, eandem corroborare queant; partim, quod notiones cæcorum & claudorum, *contra sermonis, ipsiusque scriptura S. usum, hoc unico tantum in loco, negative* accipiendæ sint; partim, quod JEBUSÆI ex *mente & doctrina ISRAELITARUM*, utut quam maxime, ut hoc ipsum evincant, laborent, de Diis suis locuti fuerint. Gemino enim, inprimis SCHMIDIUS, ut hanc ultimam stabiliat hypothesin, argumento utitur, quando *primo* asserit, quod JEBUSITIS, qui per aliquot secula inter ISRAELITAS habitaverant, ab iis Deos suos pro talibus haberi, qui, neque videre, neque ambulare possent, non ignotum fuerit; *deinde*, quando præsentis oraculi, textusque ordinem ita informat: *Ivit Rex, & viri ejus Hierosolymam, adversus JEBUSITAM, habitantem adhuc in terra. Et dixit DAVID in illa die, quisquis percusserit JEBUSITAM, & tetigerit ad canalem, & cæcos atque claudos, invisos anima DAVIDIS &c. Sed contra dixit JEBUSITA ad DAVIDEM: non venies huc, sed cæci & claudi* (quos tu scilicet ita vocas) *removebunt te.* At enim vero, quod prius VIRI CELEB. argumentum (ut mentem nostram ingenue aperiamus) nexu suo firmiori omnino *desitatur*, quilibet, curatius rem considerans, sponte sua deprehendet. *Posterius* autem, quod ex ordine textus, plane *inverso*, procedit, eo minus comprobari poterit, quo magis necessarium est, ut scripturæ divinæ adversariis omnis *calumniandi*, & ex quolibet *quidlibet inferendi* ansa, quovis modo præripiatur. Præterea ille DAVIDIS sermo non ad JEBUSÆOS, sed ad *copias* ejusdem, quæ istos percutere & arcem illo-

rum expugnare debebant, dirigitur; prouti ex hoc ipso loco, & imprimis ex i. Chron. XI. 6 satis clarum est. Quamquam autem B. LUTHERUS aliam rationem, ob quam JEBUSITARUM idola hoc in loco caecorum & claudorum nominibus veniant, ita supponit, ut existimet, non ipsos JEBUSITAS, sed SPIRITUM S. potius, per *Amanuenses* suos, istorum idola, caecos & claudos vocasse: quia tamen, ut in relatione sermonis cujusdam, alia verba, quae sensum, plane contrarium, isti, quem ipse sermonis auctor intendit, inferant, substituantur, cum officio *boni Historici* hoc ipsum consistere nequit, hanc VIRI SUMMI hypothesein, hac in re nostram facere non possumus. Altera sententiae hujus de idolis ratio, quae ab odio DAVIDIS, quo caecos illos & claudos proferebatur, defumitur, cum prius ejusdem & praecipuum forte fundamentum, quodammodo suffossum sit, non minimum quoque vacillare videtur. Praeterea enim quod, non *idola* modo, sed & *impii omnes & idololatrae*, adeoque JEBUSITAE etiam DAVIDI exosi essent, vocis quoque יְבוּסִים *passiva* significatio, ex lectione marginali, quae pro יְבוּסִים substituit יְבוּסִים, & hujus *puncta* voci priori, quae in textu extat, adscribit, *ipsi textui insertur*. Accedit, quod eandem hanc textus vocem, LXX. INTERPRETES, cum ultimo Jod pro Vau, scilicet יְבוּסִים legisse videantur, siquidem integrum comma ita vertunt: τὰς χολὰς καὶ τὰς τυφλὰς καὶ τὰς μισθῆτας τὴν ψυχὴν Δαβὶδ, quos etiam *versio vulgata* sequitur. Quod non temere insuper a *textus ipsius lectione recedendam*, aliaque vocum, literis quibusdam mutatis, vel insertis aliis, forma introducenda sit, cum, non ex Divina modo Scripturae origine, luculenter satis ostendi possit; sed hoc ipsum etiam praestantissimorum PHILOLOGORUM *suffragio* nitatur, cur ἵδ' יְבוּסִים *passive* hoc in loco vertendum sit, nullam sane praegnantem deprehendere causam possumus, nec eam proverbii, quod inde deducitur, significatio necessario inferre videtur. Satis enim constare, arbitramur, *Proverbii*, aut dicti cujusdam, quodammodo obscurioris, *interpretationem*, ex verborum *precedentium*, quibus innititur, *sensu*, non vero *vice versa*, horum sensum, ex istius interpretatione, esse derivandum, atque hinc sponte fluit, quod verba illa

illa הכית אל יוכח לא עור ופסח לא יוכח אל הכית, quæ in textu præsentis descriptioni, occupatæ urbis Hierosolymæ, & cladis JEBUSITARUM, annectuntur, & tanquam consequens, ex antecedentibus deducuntur, omnino ex integro textus nexu, inprimis ex vers. 8. qui proverbium hocce unacum proxime antecedentibus complectitur, sint exponenda. Accedit, quod rationes quædam in promptu sint, quæ impediunt, quo minus verba illa, proxime excitata, sive proverbium hoc, commode ita intelligi possit; ut per illud, *omnia gentilium simulachra*, domibus excludi, censeantur. Idola enim, quod minus apte, ab illis potissimum, qui ea solummodo, pro re inanimata, & omni sensu carente, habent, cæci & claudi vocari possint, jam tum probatum dedimus; præterea, cum DAVID multo ante occupatam Hierosolymam gentilium Deos abominatus fuisset, & insimul, ut nullus illis in ædibus, vel sacris, vel profanis locus concederetur, sanxisset, *res ipsa & sensus Proverbi*, imo & ipsa quodammodo verba jam antea apud ISRAELITAS obtinuerunt, adeoque causa sane non apparet, cur hoc in loco tanquam aliquid novi, & quod ex illis, quæ in hac DAVIDIS expeditione gesta sunt, originem duxerit, hoc ipsum commemoretur; siquidem, ubicunque Proverbi cujusdam prima origo insinuat, ibi insimul, vel rem ipsam, vel etiam verba, quibus illud offertur, *insoliti* aliquid involvisse, deprehendimus. In confesso insuper est, quod proverbium hocce ab ISRAELITIS in majorem JEBUSÆORUM contentum & irrisum inventum, & prolatum fuerit. Ast, anne magis illos pupugisset, si ISRAELITÆ, propria illorum verba, quam quæ ab istis JEBUSÆI mutuo sumserunt, retorsissent? Quod si autem largiremur, etiam notiones cæcorum & claudorum *ex doctrina* ISRAELITARUM a JEBUSITIS fuisse depromtas, proverbii certe emphasis non in vocibus עור ופסח sed in הַסִּירָה statui, atque ex hoc ipso verbo potissimum deduci debuisset.

Circa tertium argumentum, quod a *fiducia* JEBUSITARUM, præsentia Deorum, quos isti colebant, innixa, desumitur, concedimus quidem, antiquissimis gentibus ejusmodi quid in more positum fuisse, cum & hujus rei vestigia in ipsa *Scriptura S.* (2. Reg. XIX. 33. sqq. col. 2. Chronic. XXXII. 15. sq. 1. Reg. XX. 23. & c.)

haud obscure reperiantur, & Cl. DOUGHTHEUS (in *Anals.* suis Excurf. LXXXVII. ad 2. Sam. V. 6.) ad præfens oraculum idem, multis veterum testimoniis excitatis, confirmet; attamen, quod, vel JEBUSÆI etiam *ejusmodi Deos tutelares* venerati sint, vel, si hoc quoque ab illis factum sit, quod hoc in loco per cæcos & claudos isti insinuentur, *non statim atque aperte exinde sequitur.* Inprimis etiam, cum rationes quædam, non infirmæ forsitan, contrariam sententiam propugnent.

(1) Etenim JEBUSÆOS, Deos suos, quorum auxilio sese tutos fore, arbitrabantur, cæcos & claudos *vocasse*, minime verosimile est, quod autem illi ex *mente* ISRAELITARUM locuti sint, solide probari nequit. (2) Certe JEBUSÆI, partim exemplo *aliarum gentium cananearum*, partim *proprio* edocti jam pridem erant, quam inanis prorsus esset fiducia, quæ in Diis contra arma ISRAELITARUM collocaretur, imo ab ipsa nobilissima hac urbe sua *Hierosolyma*, quæ jam olim occupata, & plurima ex parte excisa fuerat, hujus rei experimentum capere poterant, adeoque tam solidum fiduciæ suæ fundamentum non habebant, ut securi in Deorum suorum præsidio recumbere potuissent; asseri autem nequit, quod Deos suos eum in finem DAVIDI opposuerint, ut metum illi incuterent; siquidem (minimum ex sententia illorum, qui hanc de idolis hypothesin defendunt) JEBUSITIS notum erat, ISRAELITAS Deos suos, pro claudis & cæcis, sive *inermibus* plane, *reputare.* (3) DAVID victoriæ momentum aliquod, in remotione & cæde cæcorum & claudorum reponere videtur, qui tamen, ne *minimum* quidem *potentia* Idolis tribuebat. Ultima tandem & (4) ratio, quæ B. SCHMIDIUM inprimis, ut hujus sententiæ patrocinium susciperet, movisse videtur, hæc est, quod *aliae hypotheses circumstantiis textus non satisfaciant*; siquidem ille, posteaquam quatuor opiniones recensuisset & rejecisset, subjicit: *manet itaque nobis expositio de Idolis JEBUSÆORUM.* At enim vero, hæc ratio, nisi *omnes sententiæ*, una cum fundamentis suis solide infringantur, imo illæ etiam, quæ adhuc ab aliis fortean inveniri atque defendi possent, insimul removeantur, infirma admodum deprehenditur. Accedit etiam, quod hæc ipsa, quam SCHMIDI-

US tuetur, hypothesis, prouti jam ostendimus, non adeo accurate textui respondeat, atque hinc a nobis, ipso facto, probandum jam nunc sit, quod alia adhuc opinio detur, quæ magis, quam illius, textui præsentis congruat.

§. VI. Quod ipsum ut feliciter procedat, hypothesis nostram, succincte ita, præmittimus, atque proponimus: JEBUSITÆ scilicet tantopere arcis suæ munitioni & robori confidebant, ut DAVIDI, illam oppugnanti, per irrisum dicerent; quod, vel cæci etiam, & claudi, aliique miseri homines, arcem suam satis contra copias ejus defendere, adeoque illum etiam, ne eo veniat, remove possent. Cum autem omnes præterea JEBUSITÆ, qui ad bellum & arcis defensionem magis apti erant, arma cepserent, & arcem suam strenue tuerentur, abunde sane, quod arcis tutelam non cæcis & claudis commiserint, apparet, atque hoc indicio esse potest, verba illa, quæ isti ad DAVIDEM loquebantur, sensum habuisse proverbialem, cujus summa, remotis ornamentis Rhetoricis, huc forsitan redibat: Quod impossibile illis esse videretur, DAVIDEM cum copiis suis arcem validissimam, fortiter insuper defensam, vi expugnare posse. Ut autem de sententiæ hujus, cum integro textu, convenientia & nexu dilucide magis patefcat, insuper etiam fundamenta, quibus eadem hæc nititur, subindicentur, ipsam textus præsentis expositionem breviter suscipiemus. Verba autem ex 2. Sam. cap. V. v. 6. 7. 8. deprompta, & latine conversa, ita ex mente nostra fluunt. Et ivit REX & viri ejus Hierosolymam, ad JEBUSÆUM, inhabitantem terram illam, qui locutus est DAVIDI, dicendo, non venies huc, quia removebunt te cæci & claudi, ac si dicerent, plane non DAVID huc veniet. Sed cepit DAVID arcem Zionis, quæ est urbs DAVIDIS. Et dixit DAVID hoc ipso die: unusquisque percutiens esto, sive percutiat, JEBUSÆOS, postquam pervenit ad canallem, imo claudos etiam & cæcos, quia oderunt animam DAVIDIS. Ea propter jam tum dixerunt, (& impostero dicent) cæcus & claudus non veniet ad domum. Textus autem authenticus ita incipit: וילך המלך &c. verbum וילך generali quidem conceptu suo, preparationem & progressionem, ad quodcunque etiam negotium perficiendum, denotat, speciatim tamen de

*expeditione militari, eadem vox sæpius ita adhibetur, (conf. Jud. I. 9. II.) ut idem insinuet, quod ויעלה להלחם (Judic. I. v. 1.) & ascendit, sive progressus est, ut bellum moveret, atque ita etiam hoc in loco occurrit. Pugnantes autem ex una parte erant Rex totius Israelis DAVID, una cum אנשיו hoc est מלחמה (confer. I. Chron. XI. v. 4. coll. 2. Chron. XVII. 13.) militibus suis, electis ex omnibus tribubus Israelitarum: ex altera vero parte, JEBUSITÆ, qui Hierosolymam & terram, circumjacentem, adhuc inhabitabant. Non intendisse autem DAVIDEM, hocce bello, ut omnes gentis hujus reliquias funditus extirparet, sed tantum, ut nobilissimam urbem JEBUS e manibus eorum eriperet, exinde satis liquere videtur, quod, cum, expugnata Hierosolyma, vires illi minime deessent, ut istud effectui daret: gentes tamen hæc non Salomonis modo ævo, (conf. I. Reg. IX. 20. coll. 2. Chron. IIX. 7.) sed & post captivitatem Babylonicam superfuissent (Esra cap. IX. 1. sqq.) Atque hinc, collato inprimis divino mandato, quod Deut. XX. 19. extat, DAVIDEM, JEBUSITIS pacem prius sub conditione concedenda sibi Hierosolyma obtulisse, vero admodum simillimum esse videtur. Ast illi, pacem recusantes, per internuntios DAVIDI respondebant למה תבא הנה כי אנם הסירך העורים והפסחים iniquo sermone vocem quidem usurpant pro אל העיר הנה, quoniam ipsi, qui hæc verba DAVIDI proponebant, urbem inhabitabant, & præterea de intentione DAVIDIS, qui urbem jam aggressus fuerat, certi erant, ac si dicerent JEBUSITÆ; noli te, & copias tuas frustra, in oppugnanda urbe nostra, fatigare, non enim obtinebis illam, לא תבא הנה non venies huc ad nos, qui urbem inhabitamus. Quoniam autem facile sibi persuadere poterant, vel ipsum DAVIDEM asserti hujus, tam confidenter prolati, causam rogaturum, vel, si ipsi nullam subjicerent rationem, eos tantummodo contemturum esse, prompte addunt: כי אנם הסירך העורים והפסחים Atque hinc particulas אנם כי causative, per quia, nam, hoc in loco reddendas esse, censemus, prouti non modo sæpius hæc duæ particulae separarim, sed & inprimis etiam conjunctim, hoc in significato occurrunt, conf. LL. Prov. XXIII. 18. Job, XLII. 8. Gen. XLVII.*

XLVII. 18. &c. de quibus vid. NOLDIUS *in concord. partic.* Hunc autem particulis  $\text{הסירך}$  sensum obtinentibus, verbum  $\text{הסירך}$ , quo illi utuntur, omnino exponendum erit: *removebunt te, ita*, ut actio hæc ad *cæcos & claudos* quodammodo referatur, præsertim, cum & ipsa vocis hujus *forma* huic expositioni faveat; siquidem, si *puncta* ejusdem consideremus, est ex præterito *Hipbil*; jam vero notum est, *Scriptura S.*, & *lingue Hebrææ* genio contrarium non esse, si quando verbum *singulare* pro *plurali*, & *præteritum* etiam absque *Vav* *conversivo* pro *futuro* usurpetur; quemadmodum consentit nobiscum laudatus SCHMIDIUS, qui hanc *enallagen* longe facilius, quam quidem *irregularitatem grammaticam*, si scilicet hæc vox, *non mutatis vocalibus*, pro *infinitivo* habeatur, admitti posse, existimat. Utut autem, hac ratione verbum hoc actum adhuc *futurum* exprimeret: quia tamen omnis *actus facultatem & potentiam* agendi præsupponit, præterea non raro in sacris literis verba occurrunt, quæ, contextu ita exigente, de *potentia tantum* accipienda sunt. nihil sane obstat, quo minus  $\text{הסירך}$  hoc in loco de *potentia* removendi exponatur. Hæc vero declaratio verbi hujus, ut *alteri* hypothesi, quæ de *actu* illud accipit, præferatur, ipse oraculi præsentis *nexus* suadet; siquidem, quod JEBUSITIS non in animo fuisset, ut *actualement* arcis defensionem, si fortitan DAVID armata manu & tota copiarum vi illam expugnare tentaret, cæcis & claudis suis committerent, *ex eventu*, quo non cæci & claudi, sed imprimis JEBUSITÆ percutiendi erant, haud gravatim perspicitur, & *sana* insuper *rationi* est consentaneum. Præterea etiam JEBUSITÆ his verbis, DAVIDI maximam expugnandæ arcis *difficultatem*, imo fere *impossibilitatem*, ut eum eo magis a præsentis proposito deterrent, ante oculos ponere discupiebant. Hæc autem difficultas non ex *actuali* miserorum hominum *defensione*, sed ex *arcis munitione* suboriebatur, qua in re omnes, facile consentientes, habebimus, qui per cæcos & claudos personas, ejusmodi defectibus corporis obnoxias, intelligunt. Jam vero nulla omnino necessitate urgeri videmur, ut a *proprio* vocum  $\text{הפסחיים והעוריים}$  significatu, quem & sermonis, & scripturæ S. usus subministrat, hic recedamus, adque verba JEBUSI-

3

34. 6.

37

32. 38.

2

26.

25

24.

BUSITARUM ita fortean commode reddi poterant: *Non venies hic, quia te removere possunt homines caeci & claudi.* Ex ipsa autem hac verborum forma quodammodo liquet, & insuper etiam, partim ex *addita* istorum in textu ipso *dilucidatione*, partim ex dicto illo *aculeato & proverbiali*, quod ISRAELITÆ JEBUSITIS, obtenta victoria, applicabant, deduci posse videtur, quod hæc ipsa JEBUSITARUM verba, in contemptum ISRAELITARUM prolata, non incommode sensu *proverbiali* ita accipi possint, ut denotent, quod arx illorum tam munita sit, ut, vel ab hominibus, etiam ad bellum minime aptis, tueri possit; non esse ergo, quod DAVID existimet, se eam *vi* occupaturum esse. Atque hoc etiam est, quod verba illa, quæ sequuntur: *לְמַן לִי יִבֶּן דָּוִד הַנָּה* sibi volunt. Infinitivum enim vocis *לְמַן* cum *ל* notam gerundii esse, commodeque per *ל* ac si dicerent, verti posse, ut, hac ratione, expositionem verborum *precedentium*, quæ obscuriora videri poterant, insinuet, locus 1. Sam. cap. IV. v. 21. coll. v. 22. & hujus generis alia, probant, imprimis, si considerare velimus, quod hæc ipsa verba, neque JEBUSITIS, neque *claudis & caecis* apte satis tribui queant. Ceterum *inanis* omnino erat JEBUSÆORUM ista *persuasio & jactantia*, & *vana* prorsus, quam in valida aliquin sua arce collocaverant, *fiducia*; siquidem textus statim subjicit, *וַיִּכְרַם דָּוִד מִצְרַת צִיּוֹן* & expugnavit DAVID arcem Zionis. Quam munita autem hæc ipsa arx fuerit, ex JOSEPHO quodammodo cognoscimus, quando ille Lib. V. c. 13. de bello Judaico situm urbis, & arcis hujus, ita describit: *ἡ πόλις μὲν ὑπὲρ δυο λόφων ἀντιπρόσωπος ἔκτιστο, μέση Φάραγγι διρημένων, εἰς ἣν ἐπάλληλος κατέληγον αἱ οἰκίαι. τῶν δὲ λόφων ὁ μὲν τὴν ἀνω πολιν ἔχων, ὑψηλότερος πολλῶν, καὶ τὸ μῆκος ἰσότητος ἦν διὰ γὰρ τὴν ἄχυρότητα, φερέριον μὲν ὑπὸ Δαβὶδ τῆ βασιλείας ἐκαλεῖτο. -- τὸ ἀρχαῖον ἱεῖχος, διὰ τὴν Φάραγγος, καὶ τὸν ὑπὲρ τῶν λόφων, ἐφ' ἧ κατέστυατο, δυσάλωτον ἦν.*

Posteaquam autem DAVID arcem hanc, valde munitam (quæ ideo etiam deinceps *דָּוִד עִיר* vocata est) expugnasset, & JEBUSITÆ interim summitates ædium & turrium fastigiis, ut desuper cum subeuntibus lapidibus quoque pugnarent, forsitan imple-

vissent;

vissent: excitat Rex milites suos, ut inde JEBUSITAS expellerent, & omnes promiscue caderent; insuper etiam ei, qui primus, ad canalem tecti, in exemplum fortitudinis, pervenisset, insigne præmium promittit. Et hac ratione ambo illa loca 2. Sam. V. 8. & 1. Chron. XI. v. 6. commode ita conciliari posse videntur, ut non opus sit, ad *duram* illam & *periculosam* quodammodo *ellipsis*, per quam in loco priori, non integra modo ἀπόδοσις, scilicet יהיה לראש וישר, sed præcipua etiam προΐσσεως pars, per הו כראשונה insinuata, ommissa esse, statuitur, confugere, sed uterque potius locus sensum plenarium per se exhibeat. Non destruit autem hanc nostram hypothesein, quod verbum נכה in *participio*, non vero in *Imperativo* hoc loco adhibeatur; cum notum satis sit, quod participium apud Hebræos non præsens modo & præteritum, sed *alia etiam tempora*, pro ratione contextus, denotet, & quod tum verbum substantivum ejusdem temporis ad tale participium supplendum sit (confer. Gen. I. 6. Jes. XIV. 6. Exod. II. 11. & cap. VII. 17. &c.) præterea autem hæc ipsa vox מכה ejusmodi significatum, quem nos illi in præsentis loco Samuelis tribuimus, 2. Reg. VI. 22. agnoscit: הו מכה, autem, quod, per *percutiens esto*, sive *percutiat*, reddimus, non modo ad vocem יבוסו, sed & ad notiones והפסתי והעורתי respicere videtur; siquidem hæ ipsæ a verbo יגע regi hoc loco nequeant, quia casu, a voce צנור discrepant: insuper tamen per Vav copulativum & part. את voci יבוסו, ipsæ eodem etiam in casu junguntur, ut adeo voces יגע בצנור vel *parentes* quasi includendæ sint, vel הו מכה commode hoc sensu præmittantur: *omnis annitatur, ut peringat ad canalem, & percutiat JEBUSÆOS, & cæcos illos & claudos*. DAVIDEM vero vocibus והפסתי והעורתי ad omnes in universum JEBUSITAS, illis etiam, qui naturali cecitate laborabant, & pedibus claudicabant, insimul comprehensis, respicere, non sine magna veritatis specie concludi posse videtur; partim ex eo, quod JEBUSITÆ, utat DAVIDI dixissent, claudos & cæcos illum remove-re posse: ipsi tamen hoc præstare non poterint, adeoque merito pro cæcis & claudis reputandi fuerint; deinde etiam, quod, tanquam cæci, qui ictus prævidere nequeant,

& claudi, quibus firmitas consistendi defuit, aperto mare cum DAVIDE pugnare detrectassent & ad tecta potius, vel publica, vel privata confugissent. Vocis enim צנור significatum, quo canalem, qui aquas, a tectis defluentes, excipit, denotat, etiam LXX. INTERPRETES Ps. XLII. 8. quando eandem vocem per καλαγάων reddunt, & CHALDÆUS, qui per מְרוּבַח hanc ipsam exprimit, aliique, tum ex *Rabbinis*, tum ex *Christianis* interpretibus, & nos cum illis omnino approbamus; utut insuper *Metonymice* vocem hanc pro tectis aedificiorum sumi, censeamus. Quod autem DAVID militibus mandaverat, ut JEBUSITAS, qui in urbe residui erant, promiscue interficerent; illud, procul dubio, quidem, ex jure bellico in civitates, quæ vi expugnatae erant, quod Deut. XX. v. 12. & sqq. proponitur, originem ducebat: nihilominus tamen specialior quaedam ratio hujus rei in textu per verba: שָׂנְאוּ כַפֵּשׁ רוּר, reddi videtur. Ad quæ verba, ut magis perspicua evadent, subintelligimus, vel relativum שָׂנָא, vel etiam partic. causalem כִּי; siquidem hæ voces non raro in scriptura S. ut plenarius reddatur oraculi sensus, desiderantur, e. g. Esth. IX. 2. Esa. XLII. v. 6. &c. vid. NOLDIUM l. c. Atque hinc hæc verba ita reddimus, qui (JEBUSITÆ) *vel quia hi oderunt animam* DAVIDIS. Cujus odii in DAVIDEM *causa* fortassis erat, quod, cum isti jam per tot annos, tranquille inter ISRAELITAS, & in hac inprimis urbe nobilissima habitassent, imo etiam SAUL Israelis Rex eos aggressus non esset, primus DAVID illos, ex munita urbe sua, non sine maximo rerum suarum & securitatis detrimento, ejicere tentasset. Effectus autem ejus, partim per DAVIDIS *irrifionem*, partim per strenuam *arcis defensionem*, qua, & vita DAVIDIS, & populi ISRAELITICI in discrimen adducebatur, sese exerebat. Omnia, itaque, hæc, quæ hætenus occasione Textus præsentis, persecuti sumus, ubi penitus paulo introspexerimus, & singula ordine eo, quo peracta fuerunt, consideraverimus, verba illa: עוֹר וּפְסָח לֹא יִבְנֶה אֵל, quæ ultimo loco, tanquam ex antecedentibus derivata, adducuntur, non adeo obscura amplius, deprehendentur, ut, vel idola JEBUSITARUM hic advocanda, vel de probabiliori illorum *explicatione spes* omnis dimittenda sit. Percepimus enim, JEBUSI-

TAS

TAS DAVIDEM dicto *aculeato*, a caecis & claudis desumpto, pugnisse; cum ergo DAVID arcem expugnasset, adeoque spe sua ISTI excidissent, non modo ILLE propria verba illorum *retorquet*, & illos caecos & claudos vocat, sed & militibus suis jubet, ut, quemadmodum JEBUSITÆ dixerant, caecos & claudos illos remoturos esse, ita ILLI quoque *vicissim*, caecos illos & claudos JEBUSITAS remove anniterentur. Atque hinc admodum in eam hypothese propendemus, ut verba, proxime allata, a *militibus* primum, qui se invicem ad strenue, ex mandato Regis, pugnandum, excitabant, prolata fuisse, statuamus: quasi illi dicerent: Agite, itaque, commilitones, aggrediamur caecos & claudos JEBUSITAS, & non permittamus, ut vel unus manibus nostris effugiat, & amplius domos, vel suas, vel alienas, quarum jam tecta impleverunt, ingrediantur. Ut autem hæc ipsa verba milites primum probabiliter protulerint: postea tamen ab aliis quoque, tum in insignis plane *viçtorie memoriam*, tum in JEBUSITARUM perpetuam *ignominiam*, ita usurpata esse, vero admodum simillimum est, ut in *Proverbium*, quo significaretur, JEBUSITAS non amplius in hac urbe & arce domos & habitacula habituros esse, abuisse videantur. Est enim scripturæ S. in more positum, ut ejusmodi dicta, quæ primum Proverbiis occasionem præbuerunt, & postea in tali sensu adhibita sunt, per *על כן יאמרו על כן יאמר*, & aliis hujusmodi formulis insinuet. Spectat huc imprimis proverbium illud, quod de SAULE dicebatur, an SAUL etiam est inter prophetas? quippe, quod 1. Sam. X. 12. per *על כן היתה למשל* cap. autem XIX. v. 24. per *על כן יאמרו*, indigitatur, atque hinc vox *יאמרו* in ejusmodi negotio, hac ratione consideranda erit, ut, vel in præterito & futuro simul commode ita accipiatur, ut denotet, quod non modo tum, cum hæc talia agerentur, dictum sit, sed & in posterum similiter dicendum fuerit, vel etiam, ad eandem vocem, in ultimo sensu adhibitam, subaudiatur *המשליים*, prout hæc duæ voces conjunguntur. Num. cap. XXI. 17. conf. Jerem. XXII. v. 29. coll. Exech. XIX. 2. &c.

§. VII. Ex hac igitur oraculi præsentis succincta declaratione, pro scopi nostri ratione suscepta, non modo, quæ nobis de claudis

&c


& cæcis Hierosolymitanis sedeat sententia, sed &, qua ratione omnes textus circumstantiæ apte cum illa connecti possint, & quibus insuper argumentis eadem nitatur, satis patescere potest iis, qui hæc nostra legere dignabuntur, arbitramur. Quod si spatii angustia concederet, argumenta pro hac nostra sententia omnia, sparsim, & ex parte tantummodo, adducta, in unum facile colligi, & curatius singula pertractari possent; hæc autem destituti, paucis tantum adhuc, testimonia quædam eorum, qui hypothesin nostram suffragio suo quodammodo comprobant, excitabimus. Quare provocamus primum ad JOSEPHUM, insignem illum Historiæ Judaicæ Auctorem, quippe qui in Antiq. Lib. VII. cap. 2. sequentia hac de re exponit: ὁ Δαβίδης μετὰ πάντων ἐπέθην ἄρας, ἦκεν εἰς ἱεροσόλυμα, τῶν δὲ καλοικάνων τὴν πόλιν Ἰεβρσαίων γένος δ' εἰσιν, ἔθνη χαναναίων, ἀπολευσάντων αὐτῷ τὰς πύλας, καὶ τὰς πεπερωμένους τὰς ὀψεις καὶ τὰς βάσεις καὶ πᾶν τὸ λελωθήμενον στήσάντων ἐπὶ χλεῦθ' τῆ βασιλείας ἐπὶ τῆ τειχῆς, καὶ λεγόντων, κωλύσειν αὐτὸν εἰσελθεῖν τὰς ἀναπήρας, τὰυτα δὲ ἐπράττον, κατὰ φρονήσας τῆ τῶν τειχῶν ὀχυρότητι. Imprimis autem hic adducimus, quæ VATABLUS super præsens oraculum ita commentatur: Non poteris capere hanc arcem, nisi abstuleris i. e. expugnaveris cæcos & claudos, quibus tradidimus arcem defendendam adversus copias tuas. Ironia est q. d. tam munita est arx ista, ut possit propugnari & defendi a sôlis cæcis & claudis; perdis igitur operam. Tuo, quantumvis forti exercitui, non opponentur fortes; sed tantum debiles & invalidi, quod locus ipse munitissimus per se paucis invalido præsidio tueri se possit; dicendo: non ingredieris &c. quasi dicerent, DAVIDEM non posse expugnare eam arcem; etiamsi a sôlis cæcis & claudis defenderetur. Plura istiusmodi suffragia, ne dissertatio hæc ultra limites, sibi præscriptos, procedat, uti addere nobis non licet; ita quoque eandem ob causam, si fortean rationes quædam sententiæ nostræ minus dilucide expositæ & diductæ fuerint, veniam haud gravatim nos esse impetraturos, confidimus.




















que locus 1. Cor. XI, 5. quo Paulus de Viris  
sque in Ecclesia prophetantibus loquitur. vide  
Celeberr. JOH. LIGHTFOOTVM in Ho-  
aic. Talmudicis ad hunc locum, p.m. 211. sqq. Et ad  
V. 2. p. 239. sqq. Nulli præterea negamus, fami-  
n cum Deo intimam jure meritoque inter pri-  
ræcipua referri debere & posse, quibus alio-  
phetæ hominum longissime transeunt condi-

Illustre hujus amicitia ex Sacra Scriptura,  
Abrahamum, videre potes in Mose, cui tan-  
id Judæi adscribunt gradum prophetiæ, ut  
BECHAI Comment. in legem fol. 3. col. 1. ארון  
כל נבואות כל נביאי ישראל

omnium Prophetarum Dominum vo-  
conf. ABARBANEL Commentario in Deute-  
ascha הברכה וזאת הברכה fol. m. שלח col. 3. ad locum  
his verbis, ubi  
insuper de Bileamo adfert: הרמב"ן כתב שלא

באה ההורגה בפסוק זה לספר מעלת  
של משה על כל שאר הנביאים כי כ  
זה בב"ב מקומות הא' בפסוק וארא אל א  
ונזמר' והב' בפסוק אם יהיה נביאכם ו  
בא לבאר שהיה נבואת משה כמרב עם חב  
אל פנים שמבין דבריו וכונתו באמריו ונהכר  
בפניו ולכן אמרו בבלעם בעת שהיה מנבא

ישראל היה כן שעמר על דבריו השם  
רצונו וחפצו ככל העתיד לבוא על י  
וכאלו היה הויה מנבא פנים בסני  
ואף על פי כן יש הפרש בין נבואת  
לנבואת בלעם כמו שזכרו בספר וכו' ו

E 2

קס

↑

mm 0 100 200 300 400 500 600 700 800 900 1000

inch 0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

the scale towards document

10 09 03 02 01 C7 B7 A7 C8 B8 A8 C9 B9

4.5 5.0 5.5 6.0

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 A20 18 17 16 11

Patch Reference numbers on IT7

Image Engineering Scan Reference Chart T230 Serial No. 011

↓